



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio II. ad Christum Dominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

illidem tibi, tanquam Filii benignissimo Patri serviamus? Si enim Filii hujus seculi, cum sint mali, norunt tamen bona data dare filiis suis, quantò magis, Pater noster cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus eum?

Oratio I. ad Christum Dominum.

○ Verbum omnipotens! Verbum caro factum, quot olim verbo ex ore tuo procedente morbos curabas, mortuos suscitabas, peccatores convertebas, transmutabas corda, eaque donis tuis replebas: mare tranquillabas, ventis imperabas, dæmonia expellebas, hostes in terram prosternebas, omnia denique verbo tuo subiecta tenebas. Quid non sperem à te, quando cum omnipotentia & bonitate tua in Sacramento absconditum, & velut incognitò ad me venis, ut familiariùs mecum agas, eaq; in anima mea præstes, quæ dum in terra versareris efficiebas?

Obsecro te, per viscera misericordiæ tuæ, verbo interno & gratiæ tuæ efficacitate me spiritualiter infirmum sana, mortuum suscita, peccatorem converte, commuta voluntatem, animum tranquilla,
ten-

tentationes reprime, dæmones repelle, & omnibus hostibus meis detriumphatis, in pace deinceps vivam, atque in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus. Tantùm dic verbo, & statim omnipotentiam tuam in his omnibus experiar. Amen.

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

O Sancte Spiritus, infinita Bonitas & Amor immense, fons sanctitatis, sanctifica obsecro, domum istam, quam ingredi & visitare modò dignatus es. Effundo coram Te animam meam imperfectam, ut tuâ eam sanctitate perficias: patet tibi malitia cordis mei, Bonitas tua eam corrige: tu nosti tenebras animæ meæ, dic ut in ea fiat lux & statim illustrabitur. Tu vides teporem meum; ignis ille tuus divinus me extimulet: jube in me quod volueris, & statim quod jusseris, perficietur. Qui cum Patre & Filio vivis & regnas in secula. Amen.

Oratio IV. ad Patrem.

O Pater Æterne! Pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit: datum optimum per excellentiam est Filius tuus; & donum perfectum per excellen-

tiam est
mo Sa
dignari
Pater tu
quæ ad
movit?
intellec
tum.
qui à ve
cedit:
donis a
lectum
bus act
omnes
num. A
O Re
ign
volonit
tro def
terra, a
dio ejus
quid in
id quod
consum
capacen
tiam